



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 114. Bohemorum postulata a Basileensibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.  
A.C. 1440.

## §. CXIV.

*Bohemorum postulata a Basileensibus.*

Gubernatores ii, seu ut verius dicam, solus Petarſco nil antiquius habuit, quam ut Basileenses ad plura, quam ipsis promiserant, servanda urgeret. Communionem sub utraque specie ad salutem haud necessariam esse, Synodum definitisse supra meminimus, nunc vero Bohemi hac decisione neutiquam contenti, qua sibi prætersam schisma suum honestandi causam sublatam perspexerant, audacter a Basileensibus postulabant, ut Eucharistiam quoque infantibus suis confestim post receptum Baptisma ministrare, ipsis liceret. Negabant Basileenses, sed illi nil perterriti, saltem Evangelium in Missa legendi, necnon Symbolum in lingua sua vulgari cantandi libertatem sibi concedi urgebant. Verum quo audaciores in petendo, eo infeliciores erant in obtinendis iis, quæ postulabant, atque ideo, cum repulsas crebrius paterentur, hac ignominia ad insolentiam stimulati eo audaciæ procefferunt, ut conventionem cum Constantiensi Episcopo, & Polemaro, seu ut alii vocant, Palamoro Protonotario sancitam penitus irritari peterent, causati, eandem nonnisi simplicibus

cibus utriusque hujus delegati verbis firmatam esse, necnon Bohemis promississe Concilium, quæ modo servare nolle. Solo itaque hoc argumento, quod tamen nullatenus comprobatum reddere poterant, suffulti, novam denuo quadraginta quinque suorum articulorum professionem ediderunt.

æcul. XV.

A.C. 1440.

## §. CXV.

*Basileensium conatus pro Felice tanquam Papa agnoscendo.*

Cum Francofordiæ comitia, quorum supra meminimus, celebrarentur, Basileenses missis ad Germaniæ Principes Oratoribus, Felicem tanquam verum Pontificem agnosci, & *Neutralitatis*, ut vocabant, decretum abrogari postulabant. Ast frustra erant eorum preces. Interim Felix, antequam Basileam peteret, Cardinalem Arelatensem Apostolicæ Sedis Legatum creabat.

## §. CXVI.

*Sessio XL. Basileensis Concilii.*

Post hæc Basileenses congregati die vigesima sexta Februarii Sessionem ordinem quadagesimam habebant, in qua Felicem in sui electionem consensisse, ac Felicis

Labbe Conc.  
to. 12. p. 638.